

gularitatem, et a fortiori culpa venialis theologica, quæ secundum aliquos reperta fuit in illo diacono ex negligentia.

IV. Confirmatur, quia hæc irregularitas homicidii non est censura, quæ imponitur propter culpam, sed solum est canonicum impedimentum, quod inducitur propter homicidium alias justum, et licitum; ergo saltem est sufficiens venialis culpa, quia cum illa homicidium reducitur in voluntatem. Tota autem indecentia hujus irregularitatis consistit in hoc, quod homicidium in voluntatem reducatur, et a fortiori incurritur irregularitas propter culpam juridicam latam, imo propter levem, et levissimam, si quidem sufficit homicidium justum, et licitum.

V. In hac difficultate duo debent esse certissima apud theologos, et alterum est sub dubio. Primum certissimum est, quod negligentia, quæ est peccatum mortale inducit irregularitatem. Et ratio hujus est manifesta, quia talis culpa cum sit gravis sufficit ad inducendam irregularitatem, sive quæ est censura, sive quæ est canonicum impedimentum, si quidem gravis culpa continet maximam indecentiam, utpote faciens homicidium perfecte voluntarium. Secundo, etiam debet esse certum in alio extremo, (quidquid jurisperiti dicant) quod quantumcumque inveniatur negligentia, quæ sit culpa lata juridica, si tamen nullo modo est culpa theologica in ordine ad Deum, nullatenus sufficiens est ad inducendam irregularitatem, quia isto modo homicidium nullatenus reducitur in voluntatem. Quod igitur in hac parte habet difficultatem est, an veniale peccatum sit sufficiens ad inducendam irregularitatem. Dico igitur primo: Secundum sententiam illorum, qui asserunt hanc irregularitatem ho-

micii culpabilis venialiter esse censuram, probabilius est irregularitatem non incurri propter veniale peccatum. Istam conclusionem probant argumenta primo loco posita.

VI. Dico secundo: Juxta nostram sententiam, qua in prima disputatione hujus tractatus diximus, hanc irregularitatem homicidii culpabilis esse solum canonicum impedimentum, non secus atque irregularitas homicidii liciti: etiam est probabile, quod propter veniale peccatum in hujusmodi negligentia vitandi homicidium non incurritur hæc irregularitas. Istam conclusionem tenent plures auctores, quos refert, et sequitur Stephanus de Avila part. VII, disp. VI, dub. XI, conclusione III. Et probatur etiam argumentis primo loco factis.

VII. Et deinde, quia minimum voluntarii, et consequenter minimum indecentiæ reperitur in tali peccato, et negligentia in ordine ad homicidium; ergo sufficiens non est ad inducendum canonicum impedimentum irregularitatis gravissimum. Probatur consequentia, quia talis gravissima pœna non imponitur in jure, nisi propter perfectum actum culpæ; peccatum autem veniale est imperfectum in ratione culpæ. Confirmatur, quia causa remota homicidii, etiamsi aliqualem influxum habeat in illud non incurrit irregularitatem; ergo a simili cum minimum voluntarii peccati venialis sit solum aliqualis influxus, non sufficit ad inducendam irregularitatem.

VIII. Dico tertio: Adhuc juxta nostram sententiam longe probabilius videtur, quod propter veniale peccatum negligentia vitandi homicidium, incurritur irregularitas, quæ est canonicum impedimentum. Istam conclusionem probant argumenta pro secunda sententia.

IX. Et confirmatur, quia minima

ratio voluntarii respectu homicidii subsecuti non est minima, sed maxima indecentia in ordine ad irregularitatem inducendam; si quidem homicidium illud vere comparatur ad voluntatem, quæ culpabiliter influit in illud, quamvis peccatum sit solum veniale.

X. Ad argumentum factum pro prima sententia respondetur, quod in illo capite non agitur de irregularitate, sed de pœnitentia imponenda clericis filios suos opprimentibus, et occidentibus dormiendo. Ad confirmationem constat ex dictis. Ad argumentum pro secunda sententia respondetur, quod ille diaconus deliquit saltem venialiter propter negligentiam, et incuriam in non custodienda falce, ut laicus non vulneraretur lethaliter. Et secundo respondetur, quod si diaconus non peccavit venialiter, ostenditur tamen reus irregularitatis in foro exteriori, non in foro conscientia. Ad confirmationem constat ex dictis.

ARTICULUS III.

Utrum qui dat operam rei illicitæ morte secuta sit irregularis, quamvis omnem adhibeat diligentiam?

I. Prima sententia extrema tenet universaliter hunc esse irregularem. Ita censent Cajetanus, Sylvester, Innocentius, Joannes Andreas, et multi alii, quos refert Suarez in illa disputatione XLV, sectione prima, et Stephanus de Avila VII part. disputatione VI, sectione I, dubitatione prima. Et probatur ex jure canonico, ubi sæpe excusantur aliqui ab irregularitate, quia dabant operam rei licitæ; ergo a contrario sensu si darent operam rei illicitæ essent irregulares. Antecedens probatur ex

capite Dilectus de homicidio in quinto, ex aliis multis, quæ refert Stephanus de Avila ubi supra. Et si respondeas argumentum a contrario sensu non esse firmum in jure ad probandam irregularitatem contra, nam hoc falsum est, ut constat ex capite Apostolica, de his, quæ fiunt a pœlatis sine consensu capituli. Confirmatur, quia hoc argumentum non solum est a contrario sensu, sed a cessante ratione, et causa (ut inquit Navarrus) quia ea ratione excusantur ab irregularitate, quia dabant operam rei licitæ; ergo cessante ista ratione incurritur irregularitas, quia argumentum a cessante ratione est firmissimum in jure, ut constat capite Cum cessante, de appellationibus. Confirmatur secundo ex S. Thoma in hoc articulo, ubi docet, quod in duobus casibus fit homo irregularis. Primo, si dat operam rei illicitæ: secundo, si dat operam licitæ rei, non adhibita sufficienti diligentia; ergo clare sentit S. Thomas, quod in primo casu non requiritur, ut præcedat aliqua negligentia.

II. Secunda sententia extrema dicit, quod dans operam rei illicitæ nunquam fit irregularis, si adhibuit debitam diligentiam. Ita tenuit magister Cano, ut refert Stephanus de Avila, et tenet Henriquez in summa, part. II, capite XV, numero I, et alii, quos ibidem refert. Et probatur, quia irregularitas non incurritur propter opus præcedens homicidium, sed propter ipsum homicidium, dummodo sit voluntarium; sed in eo, qui adhibet debitam diligentiam nullo modo est voluntarium; ergo. Confirmatur, nam esto qui vult opus periculosum censeatur virtualiter velle mortem inde secutam, nihilominus per hoc quod adhibet debitam diligentiam ne mors sequatur, videtur excludi totaliter illa virtualis volitio mortis;

ergo mors non est illi voluntaria.

III. Confirmatur secundo, nam si tale opus sit alteri licitum, ut torneamentum respectu laici, homicidium inde secutum non inducit irregularitatem, si adhibita fuit debita diligentia; ergo quando idem opus est alteri illicitum, si tamen adhibeatur debita diligentia, non incurretur irregularitas. Probatur consequentia, quia irregularitas non incurritur propter illud opus, et ex alia parte debita diligentia excusat ab homicidio secuto in eo, cui tale opus est licitum, quamvis sit inductivum homicidii ex se; ergo consequenter excusat alterum, cui est illicitum illud opus.

IV. Tertia sententia est media nempe, quod si quis dat operam rei illicitæ non tamen periculosa de se, ut ex illa sequatur mors, aut mutilatio, et ideo illa res illicita non est prohibita homini propter homicidium, sed propter aliam rationem, tunc si debitam adhibuit diligentiam, non manet irregularis morte, aut mutilatione subsecuta. At vero si dabat operam rei illicitæ, et de se periculosa ad homicidium, et ideo prohibita, manet irregularis, quamvis omnem adhibuerit diligentiam. Ista sententia est communior, quia illam tenent multi auctores, quos refert et sequitur sapientissimus magister Medina 1-2, quæstione LXXIII, artic. viii ad primum, contra tertiam regulam, et magister Bagnez, et Aragon, et Salon in hoc articulo, Stephanus de Avila ubi supra.

V. Pro explicatione igitur hujus sententiæ supponendum est, quod opus potest esse illicitum, et prohibitum dupliciter. Primo modo, quia est periculosum, et inductivum mortis; et hoc modo prohibitum est clericis pugnare, vel mittere bombardam in arcem, vel exercere torneamenta, et alia similia, et exer-

citium chirurgiæ per adustionem, vel incisionem, et etiam venatio ursorum, et aprorum, quia solet fieri cum armorum strepitu. Secundo modo non quia sit periculosum, nec inductivum mortis, sed alia de causa est illicitum illud opus, ut si venatio cuniculorum prohibeatur certo tempore, quia tunc concipiunt.

VI. Dico igitur istam tertiam sententiam sic explicatam esse a nobis tenendam, utpote veram. Et probatur primo contra primam sententiam, nam tale homicidium, quando opus illud non est periculosum, et fit sufficiens diligentia, nullo modo est voluntarium; ergo non inducit irregularitatem. Antecedens probatur, quia non est volitum directe (ut constat) nec virtualiter in ipso opere, quia non continetur virtualiter in illo, si quidem tale opus non est periculosum; nec est volitum homicidium ratione alicujus negligentia, quia nulla fuit (ut supponimus) ergo nullo modo est voluntarium homicidium. Et hoc argumentum est evidens meo iudicio, si supponamus (ut necessario supponendum est) quod irregularitas homicidii casualis nullatenus incurritur, nisi illud sit voluntarium, quia casuale in præsentem non accipitur pro casuali physice, sed pro casuali moraliter, videlicet pro illo, quod non est per se primo, nec per se secundo directe volitum, aut intentum, sed est indirecte volitum, et contingens ut in plurimum et regulariter, ut diximus disputatione secunda.

VII. Secundo probatur, quia ex prima opinione sequerentur innumera inconvenientia. Primo, si aliquis tempore interdicti pulsaret campanam ad horas canonicas, quæ cadens occideret aliquem, tunc pulsans esset irregularis quamvis omnem adhibuerit diligentiam, quia dabat operam rei illicitæ, et tamen

si non esset interdictum, non maneret irregularis: secundo, si aliquis cæderet arborem alienam; vel in die festo, si de facto opprimeret aliquem adhibita omni diligentia, maneret irregularis; non tamen si arbor esset propria, et caderet in die non festivo: tertio, si duo venentur cuniculos unus in proprio nemore, alter in alieno, et uterque debitam adhibeat diligentiam; hic maneret irregularis morte secuta, alter non.

VIII. Tertio probatur ex optimo textu in capite Quantum, distinctione I, ubi Gelasius papa loquens de illo qui equos furatur tulit, et casu offenderunt mulierem, quod fuit illi causa aborsus, et determinat pontifex, quod si equos alienos furatus tulerit, inde est culpabilis, nam de muliere, quæ casu inter equos fracta est, ubi voluntas non agnoscitur perniciose fuisse, non potest puniri. Ex quo textu constat illum fuisse reum furti, non tamen homicidii.

IX. Secunda vero pars nostræ sententiæ, quæ est contra secundam opinionem probatur, quia quando opus prohibetur, quia periculosum est in ordine ad homicidium inde secutum est voluntarium in causa; ergo inducit irregularitatem. Antecedens probatur. Opus de se tendit ad homicidium; ergo qui vult illud consequenter vult homicidium. Ex quo sequitur, quod dans operam rei illicitæ, et periculosa nunquam censetur adhibere debitam diligentiam, ne sequatur homicidium, nisi cessando a tali opere, nam quamdiu vult opus, vult causam, et periculum homicidii. Hanc autem sententiam ego sic limito, ut in foro conscientia solum procedat quando opus illicitum, cui datur opera est de se ita periculosum, ut sit proxima occasio mortis. At vero in rebus in quibus raro contingit mors, ut in

venatione aprorum, et ursorum, et aliis hujusmodi, existimo, quod si adhibita fuit diligentia debita, non fit irregularis in foro conscientia, quamvis in foro exteriori semper damnabitur tamquam irregularis, præsertim clericus, cui specialiter prohibita est talis venatio.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

X. Ad primum argumentum factum pro prima sententia bona est solutio ibi data, nec contra illam procedit capite Apostolica, si attente legatur. Ad replicam autem dicimus argumentum a cessante ratione non valere, nisi procedat a negatione totius causæ totalis, et adæquata, causa autem adæquata excusandi aliquem ab irregularitate non est solum, quia dedit operam licitæ rei, sed quia debitam adhibuit diligentiam, nam quamvis opus sit licitum ex quo tamen necessario sequitur mors, si non adhibeat debitam diligentiam ad vitandam mortem, erit irregularis. Ad confirmationem respondetur, quod S. Thomas intelligendus est de dante operam rei illicitæ, et periculosa.

XI. Ad argumentum pro secunda sententia jam diximus, quod quamdiu homo non cessat ab opere illicito, et periculoso non censetur adhibere sufficientem diligentiam. Et per hoc patet ad primam confirmationem. Ad secundam respondetur bene contingere, quod homicidium sit voluntarium, et culpabile dandi operam rei illicitæ, et periculosa, et tamen non sit voluntarium alteri, cui talis res est licita. Et ratio est, nam qui dat operam licitæ rei, non vult homicidium in se (ut supponimus) nec in causa, si quidem non tenebatur vitare illam, et adhibuit debitam diligentiam. At vero qui

dat operam rei illicitæ, et periculosa, vult homicidium indirectæ, et in causa, quia tenebatur eam vitare in ordine ad vitandum homicidium ut constat ex doctrina S. Thomæ 1-2, quæst. vi, artic. iii.

XII. Dubitabis tamen, an clericus in sacris chirurgiam exercens per incisionem, sive adustionem fiat irregularis morte, vel mutilatione subsecuta, quamvis omnem adhibeat diligentiam. Et videtur quod non ex capite Tua nos sæpe citato. Dico tamen talem clericum incurere irregularitatem secundum jus, nisi habeat specialem dispensationem illius a summo pontifice. Et ratio hujus est, quia opus illud est periculosum. Ita tenent plures auctores, quos refert et sequitur Stephanus de Avila, ubi supra dubio secundo. Ad illud autem caput Tua nos dicimus, quod ibi potius censetur irregularis ille monachus, si quidem dicitur, quod potest cum illo misericorditer agi, quia non propter quæstum, sed propter pietatem curavit.

XIII. Dubitabis deinde, an magister castigans discipulum, si ex castigatione casu sequatur mors, fiat irregularis. Partem affirmativam tenet Felinus in capite Presbyterum de homicidio. Dico tamen si non excessit in castigatione, et circumspice fecit, quamvis sequatur mors non manet irregularis, quia tunc homicidium est mere casuale, metaphysice loquendo, id est, omnino involuntarium. Si tamen nimis excessit, vel sine circumspectione fecit, ita ut percuteret in capite, vel loco periculoso, manet irregularis, ut constat ex capite Ad audientiam, de homicidio. Ita tenent plures auctores, quos refert Stephanus de Avila, et Henriquez part. ii, cap. xiv, num. iv, in glossa littera D. ubi infert, quod si iudex jubet furem flagellis cædi secundum præscriptum

legis, et tamen executor excedens occidit, executor fit irregularis, non iudex.

XIV. Dubitabis insuper, utrum qui illicite percussit alterum vulnere non lethali, et tamen percussus moritur ex malo regimine, vel ex imperitia, aut negligentia chirurgi maneat percussor irregularis. Partem negativam tenet Cajetanus in ista quæstione, et alii. Partem affirmativam tenent alii plures, quos omnes refert Stephanus de Avila. Dico tamen: Si vulnus erat grave, quamvis non lethale de se, percussor manet irregularis. Probatur, quia si vulnus non esset illatum mors non esset secuta, etiam posita imperitia chirurgi, et malo regimine; ergo vulnus fuit concausa mortis. Si tamen vulnus erat adeo leve, ut exiguo medicamine posset sanari, et nihilominus mors secuta est ex imperitia chirurgi, vel quia ex malitia adhibuit medicamenta nociva, tunc homicidium non imputabitur, sed chirurgo. Dico deinde, quamvis mors non sequatur præcise ratione vulneris, quia non erat lethale, sed ratione febris, vel alterius infirmitatis inde provenientis a qua nunquam percussus convaluit, percussor fit irregularis irregularitate homicidii casualis secundum jus. Ita tenent plures auctores, quos ibidem refert Stephanus de Avila. Et ratio est eadem atque præcedenti dicto.

XV. Dubitabis ulterius, utrum saltans cum muliere gravida fiat irregularis aborsu secuto post animationem. Sylvester verbo saltus, dicit quod si saltatio erat illicita, ut si erat amator obscænus, aut clericus, fit irregularis; et idem sentit Navarrus lib. v conclusionum, concl. xx, de homicidio, et probatur ex capite Sicut ex litterarum de homicidio. Dico tamen: Si saltatio fuit moderata non inducit irregularitatem, quamvis fuerit illicita, ut in clerico,

sive amatore obscæno: secus vero si fuit ita immoderata, ut merito ex illa timeretur aborsus, quia sic datur opera rei illicitæ, et periculosa. Et sic est intelligendum caput illud citatum.

XVI. Dubitabis præterea de alente feram, ut ursum, vel leonem, qui tamen occidit aliquem. Dico ad hoc: Si custodit illam bene ligatam, et absque sua culpa est soluta, non incurrit irregularitatem, alias incurret illam. Ita Navarrus, Covarruvia, Henriquez, et alii quos refert Avila. Et ratio hujus est eadem, atque pro præcedenti dicto. Advertendum tamen, quod quamvis habeat feram ligatam, si tamen ponit illam in via, vel publico loco, quæ occidit incaute antecedentes, sit irregularis.

XVII. Dubitatur tandem, an si puer intra tempus infantia, scilicet ante septennium habeat plenum usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, fiat irregularis si occidat. Partem affirmativam tenent plures auctores. Sed nihilominus probabilius est oppositum; tum, quia (ut diximus disputatione præcedenti, art. ii) clementina Si furiosus extenditur ad excipiendum infantem; tum, quia in capite Infans ff. ad legem Corneliam de sicariis dicitur, quod infans, vel furiosus, si hominem occiderit, non tenetur lege Cornelia, quæ statuebat illum irregularem. Quando autem beneficium concessum est causa miserationis, extendi debet non solum ad infantem usu rationis carentem, sed ad alios. Major tamen difficultas est, si ille sit major septennio, et non habeat plenum usum rationis, vel dubitetur utrum habeat illum. Ad hoc dico, non fieri irregularem propter eandem rationem, sicut nec sit irregularis opprimens dormiendo aliquem, nisi id fiat ex proposito, et incuria culpabili, ut diximus. Et

eadem ratione extrahens caute secundum regulas artis sagittam, vel gladium de homine percusso morte accelerata non fit irregularis. De aliis autem quam plurimis casibus in particulari spectantibus ad istam disputationem legendi sunt auctores, quos jam citavimus.

DISPUTATIO XVI.

DE IRREGULARITATE PROVENIENTE EX MUTILATIONE.

ARTICULUS I.

Utrum mutilatio alicujus membri inducat irregularitatem?

I. Videtur quod non, quia ut habetur in capite Is qui non in sexto, libro v, tit. xii de sententia excommunicationis, nulla irregularitas est admittenda, nisi sit expressa in jure; sed in nullo jure habetur expresse irregularitas posita propter mutilationem; ergo non est admittenda. Minor probatur, quia in jure dum ponitur irregularitas propter homicidium, nulla fit mentio de mutilatione: et ex alia parte, cum irregularitas sit pœna odiosa, non debet extendi ab homicidio ad mutilationem; ergo.

II. Dico tamen certissimum esse irregularitatem incurri propter mutilationem activam alicujus membri humani. Dixi propter mutilationem activam, quia modo non agimus de mutilatione passiva, id est, de defectu alicujus membri, quia irregularitas ex tali defectu pertinet ad irregularitatem provenientem ex